



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Ærumnæ D. N. Jesu Christi

Thomé <de Jesus>

Monachii, 1676

Ærumna XXVI. Agonia in horto.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-45834](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-45834)

ÆRVMNA XXVI.

Agonia in Horto.

I.

Dominus eodem planè modo exorsus est suæ passionis certamen, quo inceperat vitam in primo suæ conceptionis momento: scilicet à sensu doloris & mortis, quam erat appetiturus, & simul gravissimorum peccatorum generis humani, pro quibus erat satisfactorus, quasi pro suis. Cum igitur tempus affluxisset, quo decreverat implere mandatum Patris æterni, quod acceptaverat maximâ subjectione, gustu & amore, & ad quod se sponte obtulerat pro hominibus; voluit illud sic exequi, ut & in omni rigore plenè satisficeret Patri æterno, & infirmâ hominum corda simul animarentur ad amandum eum, & illuminarentur ad cognoscendum: nam hinc dependebat fructus, quem per hos labores avebat colligere. Et sicut ei nihil magis fuerat cordi, quàm ut compleretur, quod summè desiderabat; velut omnis moræ impatiens, appetente jam horâ, non expectavit, dum sanguinem sibi funderent carnifices, sed ipse misit se in tantos mœrores, ut nulla malitia inimicorum pares posset inferre: quæ ut furiâ suâ non poterat æquare immensum ejus amorem, sic etiam nequibat excogitare tot artes nocendi, quot ipse modos invenit sui amoris demonstrandi. Quare voluit nobis ab initio suæ Passionis evidenter constare, solo amore & liberâ voluntate se duci ad patiendum, quod nulla inimicorum vis potuit. Hinc etiam ivit ad locum, quem ob hoc ipsum frequentaverat, ut facilè inveniri posset ab hostibus: ac antequam illi venirent, habenas Humanitati suæ laxavit, ut sua tormenta præsentens, in gravissimam agoniam descenderet.

II. Etenim peractis altissimis mysteriis, & sermone prolixo, plenòque intimi sensûs amoris, habito ad discipulos, deducentibus illis ivit ad hortum Gethsemani, & mœstos ad orationem, fortissimum mœroris levamen, hortatus cum tribus, Petro, Jacobo, Joanne, longiùs recedens, vivâ imaginatione proposuit animo suo, tanquam præsentia, quæcunque toleraturus erat,

Q9

erat,

Christus, ut ostendat se solo amore adduci ad patiendum,

Viro in agonem descendit.

erat, acerbissimos dolores, tormenta dirissima, ignominias, conculcationem suæ personæ, triumphos inimicorum, contemptum sapientiæ suæ, irrisionem miraculorum, novas inventiones opprobriorum, ac denique omne crudelitatis genus, quod ipsi imminabat: & ut supra vires humanas erant hæc omnia, justis que ab eo laucibus expensa; is ortus est in ejus animo mœror, qui ipsi vitam extinxisset, nisi conservata fuisset virtute Divinâ. Quod ipse testatus est, cum dixit: *Tristis est anima mea usque ad mortem.* Ac licet se demiserit ad aliquid solatii, & respirationis quærendum apud discipulos: tamen eos invenit sic dejectos ex aspectu sui mœroris, à quo semper ipsi consueverant animari, ut sine solatio reversus ad orandum diceret Patri: *Si possibile est, transeat à me calix iste: veruntamen non quod ego volo, sed quod tu.* Cum autem videret, nihil remittere Patrem de rigore sententiæ, adeò processit tristitia, ut agoniam, quæ morientium est, vocabulo, cum aliquid aptius non inveniretur, expressa sit. *Factus*, inquit Evangelista, *in agonia prolixius oravit.* Unde etiam insolita naturæ lucta sudorem sanguineum expressit tam copiosum, ut per vestimenta in terram decurreret.

*Nec abnuis
solacium*

III. Voluit Christus in hac agonia descendere ad se Angelum de cælo, non quòd ipsi deesset virtus ad corroborandam suam naturam; sed ut omnes in afflictione positi discerent, sui memoriam esse in cælo, neque defuturum sibi robur à Deo, si ad ipsum confugiant. Porrò Angelus, qui non ignorabat, quis esset iste afflictus, non multa verba in commemorandis argumentis consolationis insumpsit; sed potiùs in supplicando, nomine cæli ac terræ, omniumque peccatorum, ut eis pro infinito suo amore dignetur afferre remedium, unius diei cruciatus & ignominias posthabens gaudio, quod oriturum erat in cælo & in terrâ, sublatis tantis necessitatibus: id, quod Apostolus indicat, scribens: *Hebr. 12. 2. Proposito sibi gaudio sustinuit crucem, confusione contemptâ.* Par est hîc, ut peccator, cujus gratiâ Dominus in hunc agonem descendit, petat ab eo spiritum ac teneritudinem cordis, ad sentiendum, quod ille sensit, positus in tantis angustiis, sine omni humano solatio, voluntariâ obedientiâ & subjectione ad illa perpetienda, quæ

quæ tantopere formidabat natura. Certè nulla sunt verba, quibus id exprimi possit; sed nec intelliget quisquam, sine speciali dono, & spiritu Dei; quem convenit hic petere.

IV. Ita deseruit seipsum, qui protegit omnes: ita desolatus fuit, qui consolatur omnes: ita contristatus, qui omnes exhilarat: ita voluit assumere similitudinem infirmitatis, imò ipsas ^{Doluit vna} infirmitates & ærumnas hominum, ut lucraretur eorum amo- ^{ro gravita-} rem, tanquam verus consolator, & fidelis comes afflictorum. ^{te peccato-} ^{rum.} Duæ verò causæ fuerunt, quibus in immensum aucta est ejus tristitia. Prima, immanis multitudo & magnitudo peccatorum hominum, quæ habuit omnia sigillatim præsentissima, cum justa ponderatione Divinæ injuriæ, & perditionis humanæ: qui proinde etiam solus poterat æstimare, quid mereantur. Secunda, quòd ^{q. multi-} pariter animo præsentem habuerit innumerabilem multitudinem ^{udine per-} eorum, qui suâ morte non erant juvandi, sed sponte ruituri in ^{euntium.} æternum exitium. Nam ut levebatur ex una parte dolor certâ spe maximi fructûs; ita ex altera plurimum exaggerabatur cogitatione eorum, quibus profuturus non erat; cum tamen ipse pro suo erga singulos amore, zeloque honoris paterni, desideraret omnes juvare, & pati pro singulis: neque hujus tam acerbi doloris ullum erat solatium; sed acquiescendum fuit in fixo Patris decreto, volentis eum etiam pro his pati, qui fructum inde non capiunt.

V. Tribus horis duravit hæc lucta, & oratio, quibus tan- ^{Tres horas} quam bonus Pastor, non oblitus ovium suarum, ter visitavit disci- ^{duravit} pulos, quos semel iterumque dormientes inveniens, ad vigilan- ^{hæc lucta.} dum & orandum hortatus est: tertiâ vice, cum jam adventaret proditor, dixit: *Dormite jam, & requiescite:* & paulò post: *Surgite, ecce, appropinquat, qui me tradet:* insinuans his verbis, ut S. Hilarius declarat, donec differebatur sua captivitas, vigilan- ^{Matth. 26.} dum & orandum esse: quia inimicus liberiùs tum circumibat, ^{43.} quærens eis nocere; ac timor illis imminentis periculi non sinebat eos dormire: sed eo jam capto, securè illos dormire posse, certos de suo duce tam strenuo, qui seipsum hostibus opponebat pro illis.

*Qua doce-
mur, non
desperare
in afflictio-
nibus.*

VI. Mirabiles excessus amoris sunt isti; cui non potuit satisfieri, nisi Dominus in eum statum desolationis descenderet, ad quem ne afflictissimus quidem ullus cogitavit se posse venire; & pariter ostenderet, in se uno remedium esse timorum & periculorum nostrorum. Voluit autem sentire suos dolores, ut non putemus omnia perditam, quando misera natura nostra facit suum officium, refugiendo sibi contraria: & ut intelligamus, non judicari nos ex infirmitate naturæ nostræ, formatæ ex luto; sed ex obedientia voluntatis, quàm Deus magni æstimat. Voluit assumere tristitiam, & cruciatus ad mensuram suæ virtutis, ut confidamus, à DEO, à quo distribuuntur miseriæ hujus vitæ, nos non oneratum iri supra vires nostras, sed semper infra; nec sine auxilio majore, quàm mereamur; ut ex omnibus percipiamus proventum. Voluit ostendere in se duas voluntates contrarias; unam fragilitatis corporeæ, quæ refugeret pati; alteram rationis, quæ subiceret se voluntati Divinæ: ne putemus nos separatos à DEO, quando caro contradicit spiritui; sed compellamus eam submittere se Deo, & intelligamus partem animalem non posse nocere animæ, licet opponat se legi Divinæ. Voluit Angelum descendere ad suum solatium, ne in afflictione putemus nullam apud Deum esse nostri memoriam. Voluit denique Christus à Patre petere relaxationem duræ præcepti, quam nôrat se non impetraturum; ut discamus, consolationem Divinam non consistere in ablatione calamitatum, quas Deus immittit; sed in humili subjectione, & conformatione cum sua sanctissima voluntate, & in eo, ut semper simus ei per amorem conjuncti.

EXERCITIUM

De Agonia in Horto.

I.

Admiratio, **N**on fert amor tuus, mi bone Jesu! dilationem vel minimam: sic enim ille te urget, ut grave putes, duas vel tres horas expectare, donec capiaris, & initium facias ipse cruciatibus, quos hodie toleraturus es. Prius, quàm crudeles milites te ligent vinculis, dulcis Jesu! prius, quàm Gentiles & Judæi te inhonorent oppro-

opprobriis ; prius , quàm feri carnifices carnem tuam lacerent flagris , & cruci affigant , tu sacratissimam tuam Humanitatem conjicis in tantas angustias , ut lamentari cogatur , solatium à rudibus discipulis petere lethalis tristitiæ , quæ tuo cordi insedit. Tu, & lætitia Angelorum ! non es , sicut ego ; qui soleo vinci tristitiâ , cum exhilarare me volo ; & vis mœstarum cogitationum perturbat me , quas nollem habere. Tu verò , Requies animæ meæ ! solo amore tuo victus , ei voluntariè te dedis ; & ille facit te cogitare de rebus , quæ affligunt cor tuum tam capax , tam & amplum , in quod confugiunt omnes afflicti ; ac velut homo sentis , qualia nos infirmi sentimus , miserabili carne gravati. Nos patimur , ut filii Evæ : tu , bone Jesu ! ut verus amator afflictorum filiorum Evæ. Non sufficit tibi , Domine animæ meæ ! expectare , dum transeas per immensa maria dolorum , derelictionum à Deo & hominibus , injuriarum , contumeliarum , & acerborum novorumque cruciatuum ab aliis inferendorum ; sed crucias teipsum vivâ eorundem repræsentatione per memoriam , ac si patereris ea jam reipsâ : & permittis naturam tuam præ timore jam algere , jam æstare , jam sudore lethali perfundi , jam præ nimio angore bullire sanguinem , & emanare mixtum sudori , sine omni solatio , lenimento , & refrigerio ; ac si pro te nihil uspiam superesset confortationis , nec in cælo , nec in terra , nec in amicis , nec in Deo.

II. O mea vera fortitudo ! sicine animo dejecto es ; dum imminet pugna cum hostibus , quos tu solus potes vincere ? quid factum est illo desiderio patiendi , quod præ te ferebas , cum diceres , te coarctari , donec fiat ? jam imminet , & tu formidas : tu , Lætitia animæ meæ ! es tristis : quænam hæc est mutatio , bone Jesu ? quis hic vigor , quod robur animi , quod in te , speculo Divino , in-
& laus
 amoris
 Christi.
 tuentes afflicti imitentur , à tuo exemplo , alacritate , vigore , & confortatione acceptâ ? benedicatur , laudetur , glorificetur , & adoretur infinitus amor tuus , Vita animæ meæ , & omne bonum meum ! quia vis per omnia mihi similis fieri , & ostendere , quòd nulla res te ad patiendum adigat , nisi amor tuus ; ut semper , & in omni re te possim habere pro speculo , & socio miseriarum mearum , & vero amico , unicòque illarum remedio. Nam te fortem &

generosum esse in patiendo, mi bone Jesu! quid mirum est, cum sis ipsa fortitudo Dei? hoc tibi proprium est, & in ipso Passionis articulo apparebit, nihil esse, quo dejici possis: at hoc Divinum robur celare mei amore & gratiâ, debilitari, timere cruciatus, antequam veniant; sicut ego soleo, qui sum ipsa infirmitas & miseria: & velle, ut, sicut in me dolores incipiunt cum pavore & tristitia, ita incipiant etiam in te; & quidem in tanta vehementia, juxta amplissimam capacitatem tuâ naturæ humanæ; hoc, hoc, mi bone Jesu & amor animæ meæ! quis facit, nisi solus amor tuus? Ego deberem hilariter ire ad patiendum pro te, & tu is ad assumendas supra te omnes meas misérias, ut in omnibus mihi similis & socius inveniaris. O Divine amor! tuus amor est carnifex tuus, favior Judæis & Ethnicis, à quibus torquebere. Nulla dum adfunt flagella, nulli clavi, nulli hostes; & tu totus sanguineo sudore perfunderis, ut eo madeat terra, cui incubas. Quis extrahit eum è venis, nisi flagrans hic amor?

*Ab eo pe-
rendum so-
latium tri-
stitia.*

III. Totus es amor, mi bone Jesu! ac totus ignis Charitatis ardentis. O si semper hucusque te proximè secutus fuisset, lux & perfecta opulentia mea! cur alia respicio? cur alia cogito? cur alia quæro extra te? Tam zelosus est amor tuus erga me, mi bone Jesu! ut etiam ad illas horas attenderit, quibus mea infirma natura videbatur non immeritò quærere aliquid relaxationis & solatii, videlicet horas afflictionis ac tristitiæ; in quibus ne solatium quærem extra te, fecit, ut viderem te expertum easdem: ac proinde confiderent in te omnes afflicti, quibus sic didicisti compati. Ita, spes mea! ita, opulentia mea! voluisti mihi monstrare, me non protinus periisse, cum timore percellor; non esse abjectum à te, cum desolatum me video; non ideò tuum non esse, cum dolent mihi mala, quæ patior: posteaquam tu, Dominus animæ meæ, totus fortis, & insuperabilis, incessisti per easdem vias debilitatis humanæ. Benedictus es, Domine! qui voluisti, ut miseriæ, quæ me gravant, & videntur extinguere ignem gratiæ, vique suâ frangere robur spiritûs, me ducant ad te, Deus meus, & easdem in te conspiciens respirem & animer, neque cogitem omnia esse perditâ.

IV, Sa-

IV. O Sapientissime Cognitor, & Medicator miseriarum ^{Cui sine} & infirmitatum mearum! tu probè scis, quàm grave sit naturæ, ^{ipso succumbit hu-} animam, quæ tibi placere cupit, videre totam coopertam tristi- ^{mana infir-} tiâ & afflictione internâ; cum sic desolata est, ut nesciat, quò con- ^{mitas.} vertat oculos, luctans cum tentatione, & aliis simul ærumnis, quas tu permittis accidere. Tu scis, quomodo frangatur omne robur Divinum & humanum; quomodo flaccescant fides ac spes; quomodo non sinatur erigere oculos ad res Divinas; & quomodo destituatur omni bono. Videtur sibi procùl esse à favore Divino, & ab humano nihil habet solatii. Videtur natura deserta, gratia abscondita: regnant in ea pavor & mœror, & variæ mutationes in horas: tentationes & cogitationes invalescunt: & omnia videntur ipsi contraria, & acerba. O amor Divinæ! ô amor fidelis! ô amice, qui in majore necessitate semper es magis sincerus ac vividus! cum hæc à te tam sint aliena, tamen ea pati voluisti naturam imbecillem; ut in te, velut in speculum inspiciat; in te velut in fortitudine sua roboretur; in te velut in tutela sua animetur; in te, velut in præsentissimo & unico remedio confidat. Quis ego sum, amor Divine, ut mihi velis tam bene? ô si velles in me facere unicam mutationem, quantam facis in te! nimirum ex imbecilli fortem, sicut ex forti factus es imbecillis: sed qualem tu me vis, Amor Divine! ecce me totum; si vis mihi dare vigorem, da; si me apprehendere, ecce me. Ego non possum te amare, nisi per te; non te debitè æstimare, nisi in te; non tibi inniti, nisi tu teneas me. Cum ergò, mi Domine, tua esse debeant omnia, ne cuncteris me apprehendere ac possidere, & facias dein de me, quidquid voles; ut captus à te, me ipsum effugiam. Aufer mihi omnem gustum vitæ, omne humanum auxilium, omne desiderium solatii & lætitiæ, nisi in te, mi amor suavis ac dulcis!

V. O quàm sum cæcus, stultus ac dejectus, quando quæro ^{rem extra} consolationem extra te, lætitia animæ meæ, quantum vis appa- ^{illum vana} reat bona! & quàm improbus, quando obliviscor amoris, quem ^{sint omnia.} debeo tibi, & vitam in peccatis transigo, quæ tibi causa fuerunt hujus tantæ tristitiæ, Deus meus! quomodo non mei me pudet, mi Jesu! quomodo non desidero, ut me tellus absorbeat, cum video

video te plangere mea mala; sudare sanguine propter ea, in quibus delector & ludo? ô qui seipsum videret extra se! quare sum natus, mi DEUS! si tibi fui creaturus tantum mœrorem? infinita misericordia, juva me! Oro te per hunc tuum amorem, per hanc tuam tristitiam, per hunc sanguinem, quo sudas, unica spes mea! ut, posteaquam fui delectatus peccando contra te, deinceps patiar pro te. Da mihi, bone Jesu! purum tui amorem, ut me videam, me agnoscam & abhorream; & in me vindicem cum dolore & cruce, quidquid cum delectatione commisi in Divinam majestatem tuam, quôdque te sic affligit ac premit.

*Oratio, ne
pereamus.*

VI. Et, ô Divine amor! cum tristitiam tuam sic augeant illi, qui perituri sunt, adjuva me, & non permitte me perire: aperi mihi aures, ut audiam vocem tuam: aperi mihi oculos, ut perspiciam exempla tua: inflamma cor meum, ut percipiat dolores tuos; neque renovet unquam causas eorum. O vita animæ meæ! quomodo mihi non das sentire, quod tu? peccata mea plangere, sicut tu? quærere te, sicuti quæris me tu? quid faciam, Jesu bone? ego me offero, & consigno totum amori tuo. Tracta me, ut vis: muta me, sicut vides mihi necessarium esse: alliga me, sicut vis: purifica & expoli me, sicut placet: duc me semper tecum: utere me pro servo, sicut nosti mihi expedire, Deus meus, amor meus, auxiliator meus, & omne bonum meum!

O Mater Dei sacratissima! quæ hæc eadem horâ manebas in tuo conclavi, cum Domino sentiendo cruciatus ipsi paratos hæc nocte, quos non ignorabas, & quorum omnium ego sum causa. Da mihi, Domina mea, partem sensûs istius, & veram detestationem malorum meorum, quibus tantam tristitiam Domino meo, tantam afflictionem intuli tuo cordi. O Curia celestis, fundata & ædificata in sanguine & doloribus hujus Domini! impetra huic misero peccatori amorem, & gratiam, quæ scaturit è sanguine Divini hujus Domini, ut in tua societate perpetuò gaudeam sacris amplexibus istius veri ac dulcis mei Amici,

Amen.

EXER-

EXERCITIUM

De Oratione Domini in Horto.

I.

Cur non à te disco, Divine Magister! ubi quærendum sit mihi
 remedium & consolatio, in afflictione ac tentatione consti- *Affligimur,*
 tuto? an apud Patrem tuum, qui te vult mori pro me? apud suum *ut confu-*
 amorem, qui se offert pro meo remedio? apud ipsam manum di- *gamus ad*
 vinam, quæ te affligit extenta supra te? tu ipse eò non confugis, *Deum.*
 quia scis nihil remissionis futurum. O me miserum! ideo durant
 meæ perturbationes & ærumnæ, quia non statim cum illis ad te
 venio. Te video, speculum Divinum animæ meæ, affluere fan-
 guine, plenum tristitiâ. Te video in oratione visitari de cælo ab
 Angelo: & quando videbaris maximè dejectus esse debere, ob-
 viam procedis illis, qui te comprehensuri sunt; ac tanti facis obe-
 dientiam Patris, ut non sustineas te defendi, vel etiam comitari à
 tuis discipulis. Subitò, amor animæ meæ! te ostendisti conten-
 tum eo, quod horrebas tantopere: tam promptus ad illud, quo
 contristabaris, quasi esses alius à teipso. Cur igitur, gaudium
 animæ meæ, consolationem quæro extra te? quis eam dare potest,
 nisi tu? Te adoro, Divina & amabilis manus! quæ castigando so-
 laris, tribulando animas, affligendo exhilaras, prosternendo ele-
 vas, occidendo das vitam; meritò contristor, cùm fugio à te, &
 non agnosco amorem paternum, quo facis omnia; & quo me pro-
 sequeris magis, dum me affligis, quàm ego, dum solatium extra
 te quæro. Totus sum miserabilis, ô bone JESU! quia te fugio,
 quando me affligis: quia non quæro in te solatium; vel quæro
 secundùm meam voluntatem, & amorem proprium, qui impedi-
 dit ea, quæ facere velles in hac anima: libera me à meipso, Deus
 meus! quia meipsum perimo, & impedimenta pono gratiæ tuæ,
 luci tuæ, & beneficiis tuis; in omni re sum, qualis sum; sana me
 Deus meus, qui in omni re es, qualis es.

II. Sed quid est hoc, Domine mi, quòd dicis Patri æterno,
 ut non fiat voluntas tua, sed sua? in te, bone JESU, amor animæ

R r

meæ!

meæ! qui peccare non potes, tum per naturam, cum per immensa flumina gratiæ & veritatis, quæ in te sunt, potestne esse voluntas contraria Patri æterno? Ita recordaris, Domine & spes mea! necessitatum mearum; ita accuratus es in singulis persanandis, ut etiam talem voluntatem admittere volueris absque peccato, ne despondeam animum in motibus naturæ, cum ratio illis non consentit; sed sperem me non judicandum, nisi secundum voluntatem determinatam, quæ te quæro, vel fugio; tibi servo, vel resisto. Benedictus sit amor tuus, qui tam est liberalis erga me, ut usque ad motus, quos miseria mea sentit contra te, demiseris te, & me docueris per eos accedere ad te; ut occasio sint mihi majoris meriti, & exhibendæ obedientiæ, amoris ac fidelitatis. Verè, *Optimum est, guber. nari à Deo.* Deus meus, tu Pater es hujus miseri peccatoris, & amicus hujus animæ tristici ac pauperis. Quando te cognoscam? quando intelligam? quando amabo ex toto corde? quando te quæram, ac tibi obediam sine omni contradictione? quando ex intimo corde semper, & in omni re dicam, ut fiat voluntas tua, non mea? ubi sum promeritus ego, Deus meus, ut gubernes à tua divina, paternâ, & amabili voluntate? quando malè mihi fuit eam sequi? quando bene, meam facere? Tota curia cælestis, ab Unigenito tuo, & sacratissima Virgine Matre, usque ad totam multitudinem beatorum Angelorum & hominum, sine cura sui ipsorum, solo studio obediendi tibi, evaserunt in eam felicitatem, in qua sunt, eruntque in æternum, solâ tuâ divinâ voluntate gubernati. At ego vilis vermiculus volo gubernari à meipso? elementa, & corpora cælestia tuâ gubernatione servantur sine errore ac detrimento: & ego terræ pulvisculus præsumo aliquid esse, separatus à tua obedientia? Tu, mi bone JESU! dignaris cogitare de me, cum habeas tot servos, tam puros, tam insignes amicos; & ego fugio & recuso amabilem tuam gubernationem, & volo sequi meam propriam voluntatem?

peffimum autem, regi à se ipso. III. O me pauperem! ô miserabilem! ô centies millies infelicem ac cæcum! ego censeo me nôsse, quid mihi conveniat; & non video mala mea, & quomodo decipiar, quàmque non possim videre me, sine te, qui es lux cordis mei. Sine te affectus, ac passio

passio excæcat me in rebus meis; neque intelligo, quid mali mihi immineat, quid mali inferam mihi metipsum. Scio malum è bono facere, bonum è malo non scio; sine te scio peccare, sed non agere pœnitentiam: scio me onerare miseris, & immittere in varias tentationes, occasiones, pericula, sed non ex illis emergere: scio in me destruere bona, quæ mihi das, & ad extremum totus jam corruptus, expers remedii, ac pertæsus meï ipsius, & eorum, in quæ me conjeci, revertor, à te quasi collo tractus, sine viribus & robore: & ne tum quidem desino præsumere de me, ut me totum tibi committam; sed volo, ut cures res meas, sicut ego volo & imaginor; neque tibi fido. O cæcitas! ô miseria! video tanquam cæcus; me guberno ut ignorans; volo & non volo, ut improbus; me consolor, ut brutus; me affligo, ut imbellis; neque tamen me subijcio tibi plenè, ut servus. O vere Pater misericordiarum! condona mihi has insanias, & fac semper voluntatem tuam, non meam. O viscera paterna, quæ me videtis! quia es verus pater hujus ignavi ac perditii filii, tu me sustinere debes, tu curare. Non tracta me, sicut mereor; sed sicut postulat hic amor, quem erga me geris. Tu, Deus meus, & amor animæ meæ! me gubernas cum sapientia & amore: ex omni malo elicis bonum: ipsa damna, jacturas, tentationes, afflictiones, in quas me conjicio, arripis pro mediis & viis rectis ad bona, quæ mihi vis dare. Eadem viâ, quâ me cenfeo perditum iri, tu me ducis ad optimum finem: ut sapiens, omnia vides: ut amantissimus Pater, omnia bona mihi cupis: ut medicus & amicus, sanas omnia mala mea: & ne sic quidem tibi penitus fido.

IV. O bone JESU! ô vere Pater animæ meæ! fiat voluntas tua, non mea, in omni, in omni, in omni re: concede mihi, ut hoc, *In omni re*, sit sine omni exceptione, & ut hæc resignatio sit ex toto corde. Dirige me, Deus meus, cum erro: fac me reverti ad te, cum secedo: retrahere me, cum fugio: amplectere me, cum te quæro. Propter hanc voluntatem apprehende me, & non secundum miseras meas judica me, Deus meus! Tu vides, quàm sim liberalis in offerendo, & quomodo deficiam in implendo: sed omnia supplet amor tuus. Hæc voluntate malo vivere in ferro, in catenis, in potestate inimicorum, afflictus, desertus,

R. r 2

tribe-

Resignatio
in voluntatem DEI.

tribulatus; quàm vivere juxta meam, qui sum infelix, cæcus, pauper, pavidus & perditus; unico momento, quo monstras unum è radiis tuis, omnia fiunt dulcia, & sapida; & quæ videbatur via distorta, apparet postmodum rectissima & securissima. Ergo mi Domine, si mihi non expedit esse latum semper, & in consolatione, arripe hanc debilitatem meam ad rationes tuas, & me tracta, ut lubet, & in omni re tene me sub manu tua: & si me obtinueris, fac purè ac simpliciter voluntatem tuam, non meam.

O sacratissima DEI Mater, & obedientissima ancilla ejus! quæ etiam in hoc ipso tempore offerebas & resignabas te Patri æterno, ad eundem cum ejus ac tuo Filio ac Domino, & pariendum cum ipso; quia noveras jam instare tempus Passionis ejus, & intelligebas, hanc esse divinam ejus voluntatem: ac licet non mediocriter tantùm sentires, nihilominus tamen offerebas te ad id genus ærumnæ. Imprime, Domina mea! hanc veritatem animæ meæ: corrobora voluntatem meam, ut semper insistat hanc viam, & nihil unquam velit, nisi quod Filius tuus de me statuerit. Aufer à me omnem aliam voluntatem, & omne humanum desiderium; quando hæc sola via est placendi DEO meo, ac Domino meo. O Angeli, & Sancti, purissimi & lucidissimi spiritus! juvate me, & impetrate mihi ab hoc Domino, ut non mea, sed sua divina voluntas perfectè impleatur in hac miserabili terra, sicut eam vos facitis in cælo. Amen.

ÆRUMNA XXVII.

Falsa amicitia, sub qua Christus est
venditus.

I.

*Malum
grave falsi
amici.*



Dum Christus post ultimam Cœnam discipulis traderet doctrinam cœlestem, prolixo, ac teneri affectûs pleno sermone, & oraret, sudaretque in horto; ejus falsus amicus fuit sollicitus de exequendo proditiōis consilio. Placuit Domino nostro experiri hoc genus ærumnæ ab eo, qui ipsi obligatissimus erat: & cùm non posset, neque deceret ipsum pati omnia malorum genera, elegit